,958

EVPHORIONIS FRAGMENTA

SCRIPSIT

FELIX SCHEIDWEILER
COLONIENSIS

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGRAPHI ACADEMICI
MCMVIII

EVPHORIONIS FRAGMENTA

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FELIX SCHEIDWEILER

COLONIENSIS

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGRAPHI ACADEMICI

MCMVIII

DE DISSERTATIONE PROBANDA AD ORDINEM RETTVLIT

A. ELTER

ANTONIO ELTER

SACRVM

PROLEGOMENA.

Temerarium fortasse post Meinekium, summum omnium consensu philologum, iuvenem artis philologicae rudimentis recens imbutum fragmenta Euphorionis denuo edenda suscepisse. Neque unquam mihi in opinionem venire potuit me Meinekii de Euphorione merita adaequaturum esse, qui, quotquot indagare potuit fragmenta, summa diligentia collegit, magno ingenii acumine et emendavit et explicavit, in dissertatione denique de vita et scriptis Euphorionis sicut in toto opere conficiendo tanta usus est non solum doctrina sed etiam copia enarrandi, ut editio eius vel lectu iucundissima sit. Tamen, cum et nova fragmenta post eam nonnulla innotuissent (7, 18, 24, 25, 33, 52, 62, 95, 97, 122, (142), 153, 155, (157)), e quibus ea, quae e libri membranacei quinti p. Chr. saeculi reliquiis Berolinensibus edidit Ud. de Wilamowitz (B(erl.) Kl(assikertexte) V 1, p. 57 sqq.), et amplissima sunt omnium et maximo ad artem Euphorionis cognoscendam momento, et viri docti post Meinekium haud pauca de Euphorionis vita, fragmentis, apud posteros auctoritate contulissent, ipse denique me nonnulla melius expedire posse crederem, non prorsus inutilem operam meam futuram esse putavi.

De vita Euphorionis testimonia collegi, agere supersedi, non quo omnes difficultates, quae huc pertinent, sublatas esse crederem, sed quia novi nil afferre poteram, ab aliis dicta repetere nolebam[1]. De argumentis, quae enucleari possunt,

1) Cfr. nunc Skutschium in Paulyi-Wissowae encyclop. real. s. v. Euphorion.

singulorum operum fragmentis praemisi. Quae poetis scriptoribusve antecedentibus debet Euphorio, quaeque posteriores ab eo mutuati sunt, ad singula fragmenta adnotavi. Sed quaerendum est, quam longe pateat imitatio Euphorionis apud posteriores, et quid inde ad memoriam eius locupletandam lucrari possimus.

Lycophronis Alexandra num hic respicienda sit, dubium est. Difficillima enim quaestio, utrum Lycophroni tragico an scriptori cognomini posteriori adscribenda sit Alexandra, multum abest, ut profligata sit. Quaestionis cardo non tam in versu 1229 vertitur, ubi poeta Romanos dicit adepturos esse γῆς καὶ θαλάσσης σκῆπτρα καὶ μοναρχίαν, quamquam et hic versus ante primi belli Punici finem qui scribi potuerit, aegre intellegitur, quam in versibus 1435—1450. Cassandra de certaminibus inter Asiam et Europam commissis disserens Alexandrum Magnum sine dubio significat, qui Persarum regnum eversurus sit. De proeliis enim successorum Alexandri deque Pyrrho, quae est sententia Holzingeri (praef. editionis p. 57 sqq.), haec accipi nequeunt. Quorum contentiones bellis inter barbaros Graecosque gestis nequaquam adnumerari possunt. Iam versu 1446 sqq. legimus:

ᾧ δὴ μεθ' ἕκτην γένναν αὐθαίμων ἐμός,
εἷς τις παλαιστής, συμβαλὼν ἀλκὴν δορὸς
πόντου τε καὶ γῆς κεὶς διαλλαγὰς μολὼν
πρέσβιστος ἐν φίλοισιν ὑμνηθήσεται,
σκύλων ἀπαρχὰς τὰς δορικτήτους λαβών.

ᾧ referendum est ad Γαλάδρας τὸν στρατηλάτην λύκον i. e. Alexandrum. Iam quid verbis μεθ' ἕκτην γένναν facias, nescis. Neque enim γέννα annum potest significare, ut Holzinger vult, neque Wilamowitzii interpretatio, qui μεθ' ἕκτην γένναν αὐθαίμων ἐμός vertit „mihi post sex generationes cognatus", ita, ut denotetur is, qui cum Alexandrae generis conditore i. e. Iove propinquitate coniunctus sit, stare potest, ut Holzinger l. c. p. 53 sqq. demonstravit. Itaque Beloch (Hist. Gr. III 2 p. 478 sqq.) Γαλάδρας λύκον in universum de rege quolibet Macedonum explicat i. e. de Alexandro et successoribus eius. Sequitur, ut, quae narrantur v. 1446 sqq., spectent ad T. Quincti Flaminini cum Philippo III. bellum, ita ut Ly-

cophro tragicus scriptor carminis esse nequeat. Scheer ante v. 1446 lacunam statuit, ut mecum per litteras communicavit; quae sequuntur, ad certamen nobis ignotum pertinere dicit; utrumque fortasse recte. Sed, num versibus, qui interciderunt, res descripta fuerit, quae sex generationibus poetae tragici aetatem praecederet Alexandrique temporibus multo antiquior esset, perquam dubium videtur. E singulis inter Alexandram Euphorionemque similitudinibus non certo concludi potest, id quod Skutsch (enc. real. s. Euphorion p. 1185 sq.) facere conatus est, uter utrum imitatus sit. Neque enim e. g. e Lycophr. v. 1340 τοὺς Μοψοπείους αἰθαλώσασαι γύας causam sive argumentum Mopsopiae carminis Euphorionem sumpsisse cum aliqua probabilitate colligi nèque contendi potest Lycophronem Μοψοπείους — γύας Euphorioni debere, si quidem constat Lycophronem Mopsopiae nomen a Mopsope repetivisse (733), Euphorionem vero teste Suida a Mopsopia, Oceani filia. Singulos locos enumerant Knaack ann. Fleckeis. 137 (1888) p. 145 sqq., Schultze Euphorionea (diss. Argentorat. 1888) p. 5—18.

Nicander ab Euphorione voces plerumque rariores mutuatus est (cfr. fr. 38, 3; 127; 158; 172; 174; 178; 180). In rebus describendis num Euphorionem secutus sit, ambiguum est, cfr. adn. ad fr. 10; 35; 105; 133. Notabile est utrumque poetam Hyacinthum scripsisse.

Parthenius fabulas Euphorioneas ter respicit in narr. amat. (fr. 4; 22; 23), eodem narrandi genere eum usum esse docet testim. 9, imitationis Euphorioneae in frgm. eius pauca vestigia supersunt (cfr. adn. ad frgm. 60; 114; 133 Euph.).

Notum est Ciceronem poetas aevi sui recentiores cantores Euphorionis vocare (testim. 13). Respicere videtur Catullum et Cornelium Gallum.

Catulli carm. 64 e Graeco epyllio versum esse post alios nuper contendit Reitzenstein (Herm. 35 p. 73 sqq.), argumentis nixus non ita levibus. Quae si vera est coniectura, inter poetas Alexandrinos, qui laudem Catulliani exempli a se conscripti aucupantur, ante alios in censum venit Euphorio, cuius fr. 147 Catullum v. 30 „Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem“ vertisse scite observavit Bergk (op. II p. 683, 84). Versus enim 111 exemplum, quod Cicero attulit (ad

Attic. VIII 5, 1) πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα nullo auctoris nomine munitum est, ita ut eodem iure, quo Callimachi Hecalae, Catulliani epyllii auctori adscribi possit. Accedunt alia. Apollinem nuptiis Pelei et Thetidis interesse noluit poeta (v. 299), commotus scilicet castigatione Platonis in Rep. II 383 B, ut recte adn. Reitzenstein p. 88 sq. Rei publicae autem Platonis operam dedisse Euphorionem docemur fr. 152. Imitatio Hesiodea et in singulis verbis conspicitur (Reitzenstein p. 85, 1; 101, 4; 102, 1) et in totius carminis compositione. Eodem enim modo, quo in Scuto Hesiodi enarrationi pugnae Herculis et Cycni interponitur descriptio imaginum in scuto Herculis depictarum, ita nuptiarum Pelei et Thetidis expositio interrumpitur descriptione vestis purpureae lectum tegentis genialem (v. 49 sq.), quae Ariadnae et Bacchi nuptias adumbrabat (Reitzenstein p. 102). Hesiodum autem quanti fecerit Euphorio, infra videbimus (cfr. etiam fr. 74; 104; 131). Euphor. fr. 178 Ζεφύρου μέγα ποιφύξαντος (cfr. Δ 423) fortasse componi potest cum Catulli v. 270 „horrificans zephyrus". Sed ut Catullus carmen ipse composuerit, Alexandrinorum vestigia ubique sequitur: id certe Reitzenstein demonstravit, et ut aliorum ita Euphorionis, a quo etiam pendere videtur in Ariadnae questibus et nuptiis describendis. Occurrit enim in Dionysi Euphorionis fragmentis Ἄκτιος Αἰγεύς (15), quem vix alio modo in hoc carmine inducere poterat poeta atque Catullus in epyllio. Videtur igitur descripsisse Ariadnam a Theseo relictam, Theseum oblivione a Iove inmissa paterna neglegentem mandata, Aegeum ob id in mare se praecipitantem, Bacchum denique advolantem ad nuptias cum Ariadna faciendas. Sic etiam explicari potest magna vers. 158 sq. cum Nonni D. 47, 390 sqq. similitudo (cfr. Maass Herm. 24 p. 528 sq.), quae fortasse ad Euphorionem communem Catulli et Nonni fontem referenda est. Neque neglegendum est Nonnum in hac ipsa Ariadnae nuptiarum descriptione adludere ad Euphor. fr. 102, quod etiam Alciphro ep. III 1 respicere videatur, Alciphronem vero sub finem eiusdem epistulae haud fortuito cum Catullo congruere (cfr. μειδιᾷ θαλάττης τῆς γαληνιώσης χαριέστερον — τὸ πρῶτον ὑπὸ τῶν ἡλιακῶν ἀκτίνων ὁ πόντος καταλαμπόμενος cum Catulli v. 269 sqq., Ellis ad h. l.).

Certius de Gallo iudicare possumus. Quem Euphorionis epyllia, ut videtur, in sermonem Latinum transtulisse docent testim. 15—17. Accedunt Verg. ecl. VI vss. 64 sqq., ubi Vergilius sine dubio respicit prooemium Galli ex Euphorione expressum (Skutsch Aus Vergils Frühzeit S. 43, falso de hoc loco iudicat Immisch ann. Fleck. suppl. XVII p. 149 sq.):

Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montis ut duxerit una sororum
utque viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis;
ut Linus haec illi divino carmine pastor
floribus atque apio crinis ornatus amaro
dixerit „hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,
Ascraeo quos ante seni, quibus ille solebat
cantando rigidas deducere montibus ornos.
his tibi Grynei nemoris dicatur origo,
ne quis sit lucus, quo se plus iactet Apollo.“

Huius loci sententia ut recte perspiciatur, omnis Hesiodi Euphorionei memoria procul habenda est (recte Skutsch l. c. p. 44 adn., contra Schanz Hist. litt. Lat. II 1 p. 145 sq.). Euphorio ipsius fit successor Hesiodi. Errat in regionibus Hesiodo patriis; Hesiodi syringem ei dat Linus, qui et ipse Heliconem incolit (Paus. IX 29, 6) et ut antiquissimus poeta atque inventor poesis (Philochorus fr. 189 FHG I p. 415, Dionys. Scytobr. ap. Diodor. III 67, 1, alii) huic muneri aptissimus fuit, canit de nemore Gryneo ibique ea, quae Hesiodus de Calchae Mopsique certamine narraverat (fr. 160 Rz.), collocat (fr. 114). Sed putasne Euphorionem huius parvi carminis causa tantum prooemium molitum esse et propter solam argumenti similitudinem Hesiodi syringem sibi datam finxisse? Descriptio nemoris Grynei sine dubio particula fuit carminis amplioris, qualia componere Euphorio consueverat. Sed quid Hesiodo cum hoc carmine? Ut dicam, quod sentio, Hesiodus Euphorioni princeps habebatur, qui carminum genus a se quam maxime cultum i. e. epylliorum, quae dicunt, adhibuisset. Epyllion est ἀσπίς nobis servata, quam genuinam videtur putasse Euphorio, sicut fecerunt Stesichorus, Apollonius Rhodius, Megacleides (cfr. argum. Scuti). epyllia fuisse videntur etiam alia Hesiodi poemata, quorum nos nihil nisi frgm. tenemus

(Κήυκος γάμος, Ἐπιθαλάμιον, Θησέως εἰς Ἅιδου κατάβασις). Iam apparet, cur verisimile esse iudicem Euphorionem potissimum Scuti Hesiodei compositionis artem imitatum esse eumque in ea re Catullo exemplo fuisse.

Etiam in elegiis Euphorionis vestigia secutus esse videtur Gallus. Euphorionis enim frgm. 41 a Propertio imitatione expressum videmus II 34, 91 sq.

Et modo formosa quam multa Lycoride Gallus
mortuus inferna vulnera lavit aqua.

Schultze l. c. p. 54 sq. bene coniecit Gallum, quae verba Euphorio de saucio Adonide usurpasset, in elegis de se infelici amore afflicto ipsum adhibuisse (quo ducit etiam Verg. ecl. X, ubi, quae de Adonide moriente cecinerat Theocritus, ad Gallum translata apparent) eumque locum obversatum esse Propertio.

Vergilius num in caede Laocoontis filiorumque eius describenda Euphorionem secutus sit, non constat; omnino enim, num Laocoontis Euphorio mentionem fecerit, nescimus, vid. adn. ad frg. 80. Tamen versus 201 „Laocoon ductus Neptuno sorte sacerdos“, qui Euphorionis tantum narratione (fr. 80) explicatur, huic deberi videtur. Etiam alio loco se Euphorionis versionem cognitam habere tecte significat. V. II 34 enim illud „dolo“ nisi Euphorionis fr. 65 comparato intellegi nequit.

De Ovidii imitatione Euphorionea agunt Rohde (Gr. Roman p. 127, 1) et Schultze l. c. p. 19 sqq. Euphorio initio Hyacinthi duas de hyacinthi origine fabulas affert, quas coniunctas legimus apud Ov. Met. X 206 sqq. et XIII 394 sqq. „rubefactaque sanguine (Aiacis) tellus *purpureum* viridi genuit de caespite florem, qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.“ Met. XII 159 sqq. otium Graecorum Nestorisque fabulationes non sine Euphorionis exemplo descripsisse videtur, cfr. v. 159 „sed *noctem* sermone trahunt“ cum frgm. 73 et v. 556 sqq. „Mira Periclymeni mors est. cui posse figuras sumere, quas vellet, rursusque reponere sumptas Neptunus dederat, Nelei sanguinis auctor“ cum fr. 74. Consentit cum Euphorione in Orionis ortu describendo (fast. V 495—536 ∾ fr. 120), mortem aliter narrat (fast. 537—544 ∾ fr. 121). In aconiti origine narranda (Met. VII 408—419) num Euphorione (fr. 35) usus

sit, dubitari potest. Certe nominis explicationem non ab Aconis colle, sed a dura herbae caute repetit. Ibidis v. 545/46 procul habendi. Non enim fratrem, ut apud Euphorionem (fr. 22), sed filium patri Harpalyce edendum proponit. Sed heroid. VIII 72 Euphorionem secutus Athenas Mopsopiam urbem appellasse videtur, cfr. tamen Callim. fr. 351 et Tibull. I 7, 54.

Quintam denique heroidem ad Euphorionis exemplum conscriptam esse coniecit H. Wulfius „De V heroidis Ovidianae fontibus“ (Journal d. Minister. für Volksaufkl. 1891, Januar). Argumenta eius satis levia. Detexisse sibi visus est quasdam inter Lycophronem et V Ovidi her. similitudines: apud utrumque Oinonen fatidicam fuisse non commemorari (sed cfr. Lycophr. v. 57), apud utrumque vocari Helenam adulteram (Ov. 125, Lycophr. 131, 820) et iuvencam (Ov. 117, Lyc. 102), utrumque Helenam compluriens raptam esse dicere (Ov. 132, Lyc. 146). His igitur confisus congruentiis sic argumentatur. Ovidium Lycophrone ipso usum esse se non credere, probabile igitur esse eum imitatorem quendam Lycophronis adhibuisse. Atque verisimillimum videri hunc Lycophronis imitatorem, Ovidii vero auctorem fuisse Euphorionem, quem Alexandro de Oenona et Paride exposuisse putat. Alexandrum vero eum carmen inscripsisse (non Paridem) ad exemplum Alexandrae Lycophronis. Quod autem unicum Alexandri fragmentum de Solis, urbe Paridis temporibus multo recentiore agit, id eo explicat, Euphorionem more poetarum Alexandrinorum digressiones, quibus res futuras denotaret, admittere potuisse. Attuli haec, quia leguntur in ephemeride, quae non ita facile comparari potest, refutare ea non est necesse.

Dionysius Periegeta fortasse Euphorionis de aconito narrationem (fr. 35) secutus est v. 788 sqq. καὶ Μαριανδυνῶν ἱερὸν πέδον, ἔνθ' ἐνέπουσιν οὐδαίου Κρονίδαο μέγαν κύνα χαλκεόφωνον χερσὶν ἀνελκόμενον μεγαλόφρονος Ἡρακλῆος δεινὸν ἀπὸ στομάτων βαλέειν σιαλώδεα χυλόν, τὸν μὲν ἐδέξατο γαῖα καὶ ἀνδράσι πῆμ' ἐφύτευσεν. Praeterea, quae adn. ad. fr. 147, conferenda sunt.

Nonnum Dionysiacorum bonam partem ad Euphorionis Dionysi exemplum instituisse credi poterat, antequam fr. 33 inveniretur. Nunc eum vel in triplici Bacchi origine adum-

branda ab Euphorione discessisse videmus (cfr. praef. Dionysi). Hinc apparet, cur Maassii opinioni, qui, ubicumque frgm. Orphica quaeque cum iis cohaerent cum Nonno plane consentirent, Euphorionem Nonno subesse coniecit (Orpheus p. 119, cfr. adn. 167), accedere nequeam. Tamen satis multi restant loci, qui Nonnum Euphorionis carmina imitatum esse produnt. Sic Lobeck in diss. de morte Bacchi I p. 13/14 observavit versum D. XIII 186 totum ex Euphorione (fr. 106) petitum et v. XLVII 668 ad exemplum fr. 17 fictum esse. Meineke fr. 99 comparavit cum D. XLIV 1, Nonni de natalibus Orionis fabulam (XIII 96 sqq.) ex Euphorione expressam videri ad fr. 120 adnotavit. Rohde (Gr. Rom. 506, 2) Nonnum XVIII 36 sq. Euphorionem (fr. 134) secutum Phlegyas populum insulanum fecisse monuit. Praeterea cfr. adn. ad. fr. 95, ad fr. 13, 2; 16; 21; 38; 62, 11; 83; 102; 109; 121; 165, et quae dixi praef. p. 8.

Apud Triphiodorum denique, Nonni asseclam, vestigia imitationis Euphorioneae inveniri credo. Cui ἅλωσιν Ἰλίου scribenti pro fonte principali fuerunt Quinti Posthomerica, a quo tamen haud paucis locis consulto deflexit. Quae discrepantiae ad auctores suos referendae sunt: eo consistit omnis Triphiodori fontium investigatio.

Quam maxime autem a Quinto discedit Triphiodorus in Sinonis fraude describenda. Apud illum Troiani Sinonem iuxta equum conspiciunt, cruciatibus, quo consilio Graeci equum construxerint, ex eo extorquent, audiunt equum Argivos Palladis in honorem fabricatos' esse, quo iram eius averterent, se sacrificio felicis reditus causa destinatum manus Graecorum effugisse (XII 353—386). Multo melius Thriphiodorus. Troianis de equo deliberantibus apparet Sino toto corpore flagellis ulcerato. Implorat clementiam Priami. Graecos se ita mulcasse, quia non voluisset fugere, sed, ut manerent, monuisset. Deinde a Priamo interrogatus de equo exponit v. 295 sqq.:

ἵππον δ' Ἀργείοισι παλαίφατον εὗρεν Ἐπειός·
εἰ μὲν γάρ μιν ἐᾶτε μένειν αὐτοῦ ἐνὶ χώρῃ,
Τροίην θέσφατόν ἐστιν ἑλεῖν πόλιν ἔγχος Ἀχαιῶν·
εἰ δέ μιν ἁγνὸν ἄγαλμα λάβῃ νηοῖσιν Ἀθήνη,
φεύξονται προφυγόντες ἀνηνύστοις ἐπ' ἀέθλοις.

Itane vero? Graeci ut equum construxerint, quo ad Troianorum arbitrium recideret, utri vincerent? Melius erat armis decertare quam de victoria tam temere periclitari. Hoc ut crediderint Troiani? Iam confer Vergilium, ubi omnia bene procedunt. Graecos equum statuisse dicit Sino, quo Minervam ob Palladii raptum iratam placarent, tam immensam vero molem eduxisse, ne a Troianis recipi intra moenia posset, nam si reciperent, victuros esse, si violarent, perituros (Aen. II 183—94). Quid Triphiodorus? Ex Vergili argumentatione ultimam atque gravissimam partem selegit, quae tamen per se nihil valet. Vergilium secutus est etiam v. 283 sqq. (cfr. Aen. II 147 sqq.). Sed Sinonem se ipsum flagellis verberasse apud Vergilium non inveniebat. Neque verba 273 sq. οὕνεκα φεύγειν οὐκ ἔθελον σὺν τοῖσι, μένειν δ' ἐκέλευον ἑταίρους decent Sinonem, hominem gregarium. Iam frgm. 79 docemur apud Euphorionem Ulixem Sinonis partes sustinuisse. Monui in adn. Ulixem se ipsum mutilasse videri, quo fidem Troianorum sibi conciliaret. En fons Triphiodori. Thriphiodorus, quae de Ulixe Euphorio narraverat, ad Sinonem transtulit, verba 273 sq., quae Ulixi unice conveniunt, male Sinoni dedit. Euphorionis atque Vergilii ope, ne idem referret atque Quintus, consecutus est. Fortasse etiam, cum de equo diceret ἱππείην ἔσπευδον ἐς ὁλκάδα (185) fr. 78 respexit (Knaack Fleckeis. ann. 137 (1888) p. 148, 3).

Non ita multum profecimus hac inquisitione, neque exspectandum erat in scriptore, cuius nihil nisi fragmenta servata sunt. Eandem ob causam difficillimum est de genere eius scribendi, de argumentorum tractatione, de facultate poetica iudicium ferre. Nonnihil adiuvamur testimoniis antiquorum (8—11), qui ei obiciunt obscuritatem dictionis, glossarum cupiditatem, nimiam in summi argumenti progressu exponendo brevitatem, in minutiarum descriptione ambages maximas. Quae omnia bene explicata sunt atque illustrata a Meinekio An. Al. p. 30 sqq. Omnino Euphorionem apparet non ex abundantia facultatis poeticae sed multo cum labore carmina conscripsisse ex imitatione atque respectu poetarum antecedentium. In elocutione quantopere a prioribus, Callimacho inprimis pendeat, cum cetera tum frgm. Berolinensia (62, 95)

ostendunt, id quod Wilamowitz bene demonstravit. Sed ut in verbis optimum duxit poetas imitari probatos, ita in rebus nova utique aut nova saltem ratione ea, quae ab aliis tractata erant, canere voluit. Huc pertinet licentia, qua in fabulis mutandis, contaminandis vel etiam inveniendis usus est, a multis illa quidem exagitata (fr. 4; 21; 82; 106; 124; 126; Skutsch enc. real. p. 1182). Idem studium in Chiliadum apparet compositione, qua eum Callimachi Aetia superare voluisse in argumenti explicatione monui, idem denique in epylliorum genere, quod priores poetae Alexandrini satis raro adhibuisse videntur, quam maxime colendo. Hoc epylliorum studio allexisse videtur poetas Romanos non minus quam doctrina mythologica et fabulari, qua referta erant poemata eius; doctrina placuisse videtur Nonno atque Triphiodoro, obscurarum vocum multitudo Nicandro.

Pauca, quae cum antecedentibus aliquo modo cohaerent, mihi addenda sunt. Videmus magnam partem titulorum Euphorionis nominibus constare propriis, cfr. Ἀλέξανδρος, Ἀπολλόδωρος, Ἀρτεμίδωρος, Δημοσθένης, Ἱππομέδων, Ξένιος, Πολυχάρης. Proclivis erat suspicio haec esse amicorum nomina, quibus carmina dedicarit Euphorio (Meineke p. 16, Schultze Euphorionea p. 19 sqq.). Attulit Meineke Crinagoram Parthenii, de Antipatro Antigoni et de Hermea Philetae dubitari potest, nec minus de Philetae Telepho, quem Rohde (Gr. Roman p. 74, 3) de Philetae patris nomine inscriptum dicit, cfr. Susemihl h. l. Al. I 177, 19. Apud Euphorionem autem etsi non nego hoc illud nomen proprium ita explicandum esse, tamen de omnibus id valere nego. Sed altius repetendum est. Scripsit Crates epigramma in Euphorionem (testim. 8), quod quamquam recondita eius vis tota est in cavillandis spurcissimis Euphorionis amoribus, tamen recte, quantum videmus, de Euphorionis poesi iudicat. Incipit:

Χοιρίλος Ἀντιμάχου πολὺ λείπεται, ἀλλ' ἐπὶ πᾶσι
Χοι ρίλον Εὐφορίων εἶχε διὰ στόματος.

Ad genus dicendi haec spectare non possunt. Qua in re multo magis ad exemplum Antimachi quam Choerili se applicuit Euphorio. Porro imitationis Antimacheae apud Euphorionem vestigia nonnulla (cfr. fr. 21; 27; 28; 69), Choerileae

nulla sunt. Quid igitur Crates voluit? Posteriores, si de Antimacho dicunt, non tam Thebaidem respiciunt quam Lyden. Ad Lydes, carminis elegiaci, exemplum Aetia Callimachi composita erant, quae eo tantum differebant, quod fabulae, quae narrabantur, non cum propriis poetae casibus coniunctae erant (cfr. Jacoby, Mus. Rh. 60 p. 48). Iam si reputamus Euphorionem nullam elegiam (Jacoby l. c. 69, 3) scripsisse videri, nullum pentametrum in fragmentis eius inveniri, in carminibus denique, quae ad Aetiorum similitudinem composuit, heroico non elegiaco usum esse metro, non iam dubium esse potest, cur eum contemptorem Antimachi vocarit Crates. Asseclam vero Choerili simili de causa eum dici postulamus. Choerilus autem eo notabilis est, quod epos historicum in litteras Graecas induxit. Probabile igitur est etiam Euphorionem carmina composuisse historica, non μεγάλα quidem βιβλία, sed quibus singulas res, quae proposito convenirent, seligeret, reliqua transcursu attingeret[1]). Quibus adnumero Alexandrum et Apollodorum. Illo de Alexandro Magno actum esse verisimile facit Solorum, urbis Ciliciensis, commemoratio (fr. 1). Ibi enim Alexander aliquantum commoratus est; inde expeditionem fecit contra Cilicienses (Arriani anab. II 5, 6). Reversus ἐν Σόλοις θύσας τε τῷ Ἀσκληπιῷ καὶ πομπεύσας αὐτός τε καὶ ἡ στρατιὰ πᾶσα καὶ λαμπάδα ἐπιτελέσας καὶ ἀγῶνα διαθεὶς γυμνικὸν καὶ μουσικὸν Σολεῦσι δημοκρατεῖσθαι ἔδωκεν. Iam, si quaeris, quo consilio Alexandri res gestas exposuerit Euphorio, alterum eum esse Achillem probare voluisse crediderim. Sic Choerilum, Anaximenem, Agidem ut novum Dionysum celebrasse Alexandrum probabilis est coniectura Koeppi (De Gigantomachiae in poeseos artisque monumentis usu, Bonn. 1883, p. 48). Quam libenter vero cum Achille se comparaverit Alexander, notum est, cfr. Plut. Alex. 5, Arriani an. I 12. Itaque huc refero fr. 92, cui fortasse adiungenda fr. 93 et 94. Similis fuit Apollodori condicio. Frgm. 4/5 agitur de Cyzico, a quo

---

1) Videtur haec carmina, quae a reliquis poetis Alexandrinis ei opprobrio data esse probabile est (cfr. rixam Apollonii et Callimachi), Choerili auctoritate saepius defendisse, sicut etiam epyllia ad Hesiodum eius generis inventorem rettulit. Hinc explices Crateteum εἶχε διὰ στόματος.

Cyzicus urbs nomen deduxisse putabatur. Cyzicenum vero Apollodorum, ducem Atheniensium, commemorat Plato Ionis p. 541 C. Quadrat axonum mentio (fr. 6), quadrat etiam nomen Λειοφόωντος, quod ego in Κλειοφόωντος mutandum esse censeo. Cleopho enim Atheniensis fuit contionator belli Peloponnesiaci temporibus satis magnae auctoritatis. Longe alia ratio est Hippomedontis, de quo in Thracis argumento exponendo disputabo. Sed Artemidori, Demosthenis, Xenii, Polycharis argumenta nescimus.

In fragmentis ordinandis eam rationem secutus sum, ut primo loco exhiberem ea, quae certo aut maiore cum probabilitate singulis operibus adscribuntur, deinde ea, quae ad certos fabularum orbes referri possunt (de Hercule fr. 59—63, de Troicis fr. 63—83, de Argonauticis fr. 84—91), tum ea, quae minore cum probabilitate carminibus antea tractatis adscribi possunt (92—94 Alexandro, 95—97 Ἀραΐς, 98—100 Dionyso, 101—104 Hesiodo, 105—112 Mopsopiae). Sequuntur fr. 113—115 ad vates claros pertinentia. Ad mythologiam vel historiam fabularem pertinent fr. 116—138. Sequuntur geographica ordine alphabetico (139—147), tunc ea, quae pedestri sermone conscripta fuerunt (148—152), lexicographica ordine alphabetico (153—184), dubia.

Subiungam conspectum codicum eorum scriptorum, qui plura Euphorionis fragmenta exhibent.

Anthologia Palatina (ed. Stadtmueller)
P = cod. Palatinus 23 (A librarius, C corrector)

Scholia in Apollonium Rhodium (ed. H. Keil)
L = Laurentianus XXXII 9

Scholia Aratea (ed. Maass)
{ A = Parisinus 2403 s. XIV
{ Ald. = ed. Aldina anni 1499
M = Marcianus 476 s. XI, ς cod. reliqui

Athenaeus (ed. Kaibel)
A = Marcianus s. X
Epitome { C = Parisinus 3056
{ E = Laurentianus LX, 2

Clemens Alexandrinus (ed. Stählin)
L = Laurentianus V 3 — Scholia leguntur in cod.:
P = Parisin. graec. 451 eiusque apographo M = Mutinens. III D 7

Etymologica
1. Etymologicum Genuinum
A = Vaticanus 1818 s. X
B = Laurentianus S. Marci 304 s. X, cfr. Miller, Mélanges de litt. Grecque Paris. 1868.

2. Etymologicum Magnum (ed. Gaisford)
M = Marcianus 530 s. XIII
V = Lugdunensis olim Vossii, cuius duae series siglis notantur Va et Vb. Va continet glossas usque ad ἁρμάτειον μέλος. V adhibetur, ubi sola exstat Va deficiente Vb

Scholia Euripidea (ed. Schwartz)
M = Marcianus 471 s. XII, T = Taurinensis B IV 13
A = Vaticanus 909 s. XIII, B = Parisinus 2773 s. XIII

Scholia Homerica (ed. Dindorf et Maass)
1. Iliadis
A = Venetus Marcianus 454 s. XI
B = Venetus Marcianus 453 s. XI
T = Townleyanus anni 1059
V = Victorianus 16
D = scholia, quae vocantur, Didymi

2. Odysseae
H = Harleianus 5674 s. XIII, T = Hamburgensis s. XIII/XIV
P = Heidelbergensis s. XIV, Q = Mediolanensis s. XIV

Scholia in Lycophronem (de codicibus et lectionibus benigne edocuit me Scheerius)
a) scholia: s = Marcianus 476
s^3 = Neapolit. II D 4
s^4 = ea, quibus Tzetzes usus est, scholia
s^6 scholia eius, qui Tzetzam interpolatus est
Tzetzae commentarius:
I. Prima editio (Isaaci Tzetzae), quae continetur cod. Parisino 2723 (a)
II. Altera (Iohannis Tzetzae) editio, continetur cdd.:
b = Vatic. 1306, γ 2 = Palat. 18, γ 1 = Ambros. 222

Scholia Nicandrea
1. Theriacorum (ed. H. Keil)
K = Vaticanus 305 s. XIII, G = Gottingensis 29 s. XIII
L = Lorrianus P = Parisinus 2403 s. XIII
R = Riccardianus 56 s. XV, V = Venetus 477 s. XIV
2. Alexipharmacor. (ed. Henr. Bianchi, studi Italiani di filologia classica XII p. 321 sqq.)
G = Gottingensis 29 s. XIII, R = Riccardianus 56 s. XV
P = Perizonianus 7 Λ s. XV

Scholia Pindarica
1. Olympiorum (ed. Drachmann)
A = Ambrosian. s. XII, eiusque apogr. R = Rehdigeranus
2. Nemeorum (ed. Abel)
B = Vaticanus 1312 s. XII exeuntis
D = Laurentian. XXXII, 52 s. XIV ineuntis
3. Pythiorum (ed. Boeckh) G = Gottingensis 1 s. XIII

Stobaeus (lectiones O. Hensii debeo liberalitati)
A = Parisin. 1984 s. XIII
M = Escurialensis Mendozae
S = Vindobonensis Sambuci
Trinc. = editio Trincavelli ex cod. Marciano expressa, cfr. Stob. III (ed. Hense) prol. p. XXIII

Scholia Theocritea (ed. Ahrens)
K = Ambrosian. 222 (scholia ed. Ziegler, Tubing. 1867)
P = Parisinus 2835 s. XIV
Gen.[a] et Gen.[b], duae interpretationes cod. Genevensis s. XV
3 = Vaticanus 38 s. XIV, 4 = Vatic. 1825 s. XIV
5 = Vatic. 42 s XIV, 10 = Vatic. Gaisfordi
M = Parisinus 2832 s. XIV (Triclinii)

Stephanus Byzantius (lectiones mihi benigne transmisit F. Jacoby)
R = Vratislaviensis (Rehdigeranus)
V = Vossianus F 20
P = Perusinus, A = Aldina
S = Seguerianus ap. Montefalc. Bibl. Coisl. p. 281

De Euphorionis vita atque poesi testimonia.

Suidas Εὐφορίων Πολυμνήστου Χαλκιδεὺς ἀπ' Εὐβοίας, μαθητὴς ἐν τοῖς φιλοσόφοις Λακύδου καὶ Πρυτάνιδος καὶ ἐν τοῖς ποιητικοῖς Ἀρχεβούλου τοῦ Θηραίου ποιητοῦ, οὗ καὶ ἐρώμενος λέγεται γενέσθαι. ἐγεννήθη δ' ἐν τῇ ρκς' ὀλυμπιάδι, ὅτε καὶ Πύρρος ἡττήθη ὑπὸ Ῥωμαίων. καὶ ἐγένετο τὴν ἰδέαν μελίχρους, πολύσαρκος, κακοσκελής. τῆς δ' Ἀλεξάνδρου, τοῦ βασιλεύσαντος Εὐβοίας, υἱοῦ δὲ Κρατεροῦ, γυναικὸς Νικαίας στερξάσης αὐτόν, εὔπορος σφόδρα γεγονὼς ἦλθε πρὸς Ἀντίοχον τὸν μέγαν ἐν Συρίᾳ βασιλεύοντα καὶ προέστη ὑπ' αὐτοῦ τῆς ἐκεῖσε δημοσίας βιβλιοθήκης. καὶ τελευτήσας ἐκεῖ τέθαπται ἐν Ἀπαμείᾳ, ὡς δέ τινες ἐν Ἀντιοχίᾳ. βιβλία δ'αὐτοῦ ἐπικὰ ταῦτα· Ἡσίοδος· Μοψοπία ἢ Ἄτακτα· ἔχει γὰρ συμμιγεῖς ἱστορίας, Μοψοπία δ', ὅτι ἡ Ἀττικὴ τὸ πρὶν Μοψοπία ἐκαλεῖτο ἀπὸ τῆς Ὠκεανοῦ θυγατρὸς Μοψοπίας, καὶ ὁ λόγος τοῦ ποιήματος ἀποτείνεται εἰς τὴν Ἀττικήν. Χιλιάδες· ἔχει δ' ὑπόθεσιν εἰς τοὺς ἀποστερήσαντας αὐτὸν χρήματα, ἃ παρέθετο, ὡς δίκην δοῖεν κἂν εἰς μακράν· εἶτα συνάγει διὰ χιλίων ἐτῶν χρησμοὺς ἀποτελεσθέντας. εἰσὶ δὲ βιβλία ε'. ἐπιγράφεται δ' ἡ πέμπτη χιλιὰς [περὶ χρησμῶν, ὡς διὰ χιλίων ἐτῶν ἀποτελοῦνται].

1. πολυμνήστου A (Parisinus gr. 2625), πολυμνήτου ceteri. — 2. De Prytanide cfr. testim. 5. — Ἀρχεβούλου τοῦ Θηβαίου ποιητοῦ Hephaestio p. 28, 14 Consbr. — 4. ρκ' A. — 7. Νικαίας Bernhardy, Νικίας vulgo. — 15. ἀττικὴν χιλιάδες B [Paris. gr. 2622] D [Bodleian.] E [Bruxellensis], ἀττικὴν χιλιάδι ε' V (Leidensis), ἀττικὴν χιλιάδα ceteri. — 16/17. ὡς — μακράν om. BVE. — 19. περὶ — ἀποτελοῦνται om. BVE, in mg. habet A.

2. Suidas Ἀπολλώνιος Ἀλεξανδρεύς, ἐπῶν ποιητής — σύγχρονος Ἐρατοσθένους καὶ Εὐφορίωνος καὶ Τιμάρχου ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Εὐεργέτου ἐπικληθέντος κτλ.

3. Photius cod. 279 (Helladius) p. 532b 18 (= fr. 84) παρὰ Εὐφορίωνι τῷ φύσει μὲν Χαλκιδεῖ, θέσει δὲ Ἀθηναίῳ κτλ.

4. Academicorum philosophorum index Herculanensis p. 78, 20 (Mekler) inter discipulos Lacydae enumerat καὶ ⟨Τ⟩η-λ⟨εκλέα καὶ Εὐφορί⟩|ωνα.

5. Athenaeus XI p. 477 E Ἡγήσανδρος ὁ Δελφὸς Εὐφορίωνά φησι τὸν ποιητὴν παρὰ Πρυτάνιδι δειπνοῦντα, καὶ ἐπιδεικνυμένου τοῦ Πρυτάνιδος κιβώριά τινα δοκοῦντα πεποιῆσθαι πολυτελῶς, τοῦ κώθωνος εὖ μάλα προβεβηκότος λαβὼν ἓν τῶν κιβωρίων ὡς ἐξοινῶν καὶ μεθύων ἐνεούρησε.

6. Plutarch. de tranq. animi 13 p. 472 D τούτου δ' οὐδὲν βελτίων ὁ βουλόμενος ἅμα μὲν Ἐμπεδοκλῆς ἢ Πλάτων ἢ Δημόκριτος εἶναι, περὶ κόσμου γράφων καὶ τῆς τῶν ὄντων ἀληθείας, ἅμα δὲ πλουσίᾳ γραῒ συγκαθεύδειν ὡς Εὐφορίων.

7. A. P. VII 406.

Θεοδωρίδα.

Εἰς τὸν Εὐφορίωνος τάφον τοῦ μύστου τῶν Ἑλληνικῶν μυθολογημάτων ἢ τελεσιουργημάτων.

Εὐφορίων, ὁ περισσὸν ἐπιστάμενός τι ποῆσαι
Πειραϊκοῖς κεῖται τοῖσδε παρὰ σκέλεσιν·
ἀλλὰ σὺ τῷ μύστῃ ῥοιὴν ἢ μῆλον ἄπαρξαι
ἢ μύρτον· καὶ γὰρ ζωὸς ἐὼν ἐφίλει.

8. A. P. XI 218.

Κράτητος.

Χοιρίλος Ἀντιμάχου πολὺ λείπεται· ἀλλ' ἐπὶ πᾶσι
Χοιρίλον Εὐφορίων εἶχε διὰ στόματος
καὶ κατάγλωσσ' ἐπόει τὰ ποήματα καὶ τὰ Φιλητᾶ
ἀτρεκέως ᾔδει· καὶ γὰρ Ὁμηρικὸς ἦν.

9. Lucian. de hist. conscr. c. 57 μάλιστα δὲ σωφρονητέον ἐν ταῖς τῶν ὀρῶν ἢ τειχῶν ἢ ποταμῶν ἑρμηνείαις, ὡς μὴ δύναμιν λόγων ἀπειροκάλως παρεπιδείκνυσθαι δοκοίης καὶ τὸ σαυτοῦ δρᾶν παρεὶς τὴν ἱστορίαν, ἀλλ' ὀλίγον προσαψάμενος τοῦ χρησίμου καὶ σαφοῦς ἕνεκα μεταβήσῃ ἐκφυγὼν τὸν ἰξὸν τὸν ἐν τῷ πράγματι καὶ τὴν τοιαύτην ἅπασαν λιχνείαν, οἷόν τι ὁρᾷς, ὡς καὶ Ὅμηρος ὁ μεγαλόφρων ποιεῖ, καίτοι ποιητὴς ὤν· παραθεῖ τὸν Τάνταλον καὶ τὸν Ἰξίονα καὶ τὸν Τιτυὸν καὶ τοὺς ἄλλους. εἰ δὲ Παρθένιος ἢ Εὐφορίων ἢ Καλλίμαχος ἔλεγε, πόσοις ἂν οἴει ἔπεσι τὸ ὕδωρ ἄχρι πρὸς τὸ χεῖλος τοῦ Ταντάλου ἤγαγεν· εἶτα πόσοις ἂν Ἰξίονα ἐκύλισε.

10. Cicero de divin. II 64, 132: Quid? poeta nemo, nemo physicus obscurus? illi vero. nimis etiam obscurus Euphorio: at non Homerus. uter igitur melior?

11. Clem. Al. Strom. V. 8, 50 Εὐφορίων γὰρ ὁ ποιητὴς καὶ τὰ Καλλιμάχου Αἴτια καὶ ἡ Λυκόφρονος Ἀλεξάνδρα καὶ τὰ τούτοις παραπλήσια γυμνάσιον εἰς ἐξήγησιν γραμματικῶν ἔκκειται παισίν.

12. Meleager in prooemio (A. P. IV 1) se inserere dicit coronae suae (v. 23) λυχνίδα τ' Εὐφορίωνος. Lychnidem in amatoriis floribus a veteribus habitam esse ostendit Mein. p. 25.

13. Cicero Tusc. III 19, 45 appositis Ennii locis nonnullis sic pergit: O poetam egregium! quamquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur.

Catullum Cicero spectat atque Cornelium Gallum. De Gallo dubitat Adolf. Gandiglio, Cantores Euphorionis 1904, recens. R. Helm BphW 1905 p. 793 sqq.

14. Quintil. inst. X 1, 56: Quid? Euphorionem transibimus? quem nisi probasset Vergilius, idem nunquam certe conditorum Chalcidico versu carminum fecisset in Bucolicis mentionem.

15. Verg. buc. X 50. Dicit Gallus:

Ibo et, Chalcidico quae sunt mihi condita versu,
carmina pastoris Siculi modulabor avena.

Adnotant Probus: Euphorion elegiarum scriptor Chalcidensis fuit, cuius in scribendo secutus colorem videtur Cornelius Gallus. — Philarg. I: i. e. Chalcis civitas in Euboea, in qua fuit Euphorion, qui Euphorion distichico versu usus est. — Philarg. II: i. e. civitas enim in Euboea Chalcis dicitur, in qua fuit Euphorion, quem transtulit Gallus. — Servius: Euphorion, quem transtulit Gallus.

16. Servius ad Verg. ecl. X 1: Gallus . . . fuit poeta eximius; nam et Euphorionem, ut supra diximus (ad ecl. VI 72 = fr. 114), transtulit in Latinum sermonem et amorum suorum de Cytheride scripsit libros quattuor.

17. Diomedes GL I 484, 21: quod genus carminis (de elegia dicit) praecipue scripserunt apud Romanos Propertius et Tibullus et Gallus, imitati Graecos Callimachum et Euphoriona.

De testimoniis 15—17 cfr. Jacoby M. Rh. LX p. 52; 59, 2; 69, 3; Skutsch enc. real. s. Euphorio p. 1177.

18. Sueton. vit. Tiberii c. 70: Fecit (Tiberius) et Graeca poemata imitatus Euphorionem et Rhianum et Parthenium, quibus poetis admodum delectatus, scripta omnium et imagines publicis bibliothecis inter veteres et praecipuos auctores dedicavit, et ob hoc plerique eruditorum certatim ad eum multa de his ediderunt.

Euphorionis epigrammata.

1. A. P. VI 279 ΕΥΦΟΡΙΩΝΟϹ.

Πρώτας ὁππότ' ἔπεξε καλὰς Εὔδοξος ἐθείρας
Φοίβῳ παιδείην ὤπασεν ἀγλαΐην·
ἀντὶ δέ οἱ πλοκαμῖδος, Ἑκηβόλε, κάλλος ἐπείη
χὠχαρνῆθεν ἀεὶ κισσὸς ἀεξόμενος.

1. ὁπότ' s. v. ἔθειραι Suidae V(ossianus). — ἔπλεξε P, ἔπεξε Suidas. — 3. δέτοι P, δέ σοι s. πλοκαμὶς Suid., δέ οἱ Toup. — κάλλοσ P, Suid., κάλος Suid. V, καλὸς appendix cod. Buheriani et cod. Barberinus Gr. I 123.—4. ὠχαρνηθὲν? A, ὠ'χαρνῆθεν C, χὠχ. Mein. — δεξομένοσ A, ἀεξόμενοσ C. De hedera Acharnensi cfr. Paus. I 31, 6 (Jacobs).

2. A. P. VII 651. ΕΥΦΟΡΙΩΝΟϹ.

Εἰς ναυηγὸν ὁμοίως ἀνώνυμον ἐν τῷ Ἰκαρίῳ πελάγει ναυαγήσαντα.

Οὐχ ὁ τρηχὺς ἔλαιος ἐπ' ὀστέα κεῖνα καλύπτει
οὐδ' ἡ κυάνεον γράμμα λαβοῦσα πέτρη·
ἀλλὰ τὰ μὲν Δολίχης τε καὶ αἰπεινῆς Δρακάνοιο
Ἰκάριον ῥήσσει κῦμα περὶ κροκάλαις·
ἀντὶ δ' ἐγὼ ξενίης πολυκηδέος ἡ κενεὴ χθὼν
ὠγκώθην Δρυόπων διψάσιν ἐν βοτάναις.

1. τρηχύς σέλι (s. σέλι) θαιοσ? A, τρηχὺσ σελι θαῖοσ post correcturam; τρηχὺς ἔλαιος Mein. οὐ τὸ τρηχὺ σέλινον Osann. Kaibeli coniectura (Herm. 15 p. 451) τρηχὺς Ἐλαιὸς (cfrt. Polyb. IV 65, 6 τῆς Καλυδωνίας πρός τι χωρίον ὀχυρόν, ὃ καλεῖται μὲν Ἐλαιός et Rhiani versum ap. Paus. IV 1 πάρ τε τρηχὺν Ἐλαιὸν ὑπὲρ δρυμόν τε Λύκοιο) primo tantum obtutu adridet. Obstant ei et πέτρη v. 2 et Δρυόπων βοτάναι v. 6. Recte Mein. de arbore interpretatur umbra cenotaphium circumdante. τρηχὺν — ἀγριέλαιον habes [Theocr.] XXV 256 (Mein.). — 3. δολιχῆστε P, Δολίχης Mein. coll. Steph. Byz. 329, 12: Ἴκαρος, νῆσος μία τῶν Κυκλάδων· ἐκαλεῖτο δὲ Μάκρις καὶ Δολίχη καὶ Ἰχθυόεσσα, Apollod. II 132. Dracanon promunturium Icari insulae, Strabo XIV

1, 19, Steph. Byz. s. v. [Mein.]. — 4. ῥήσει P. — 5. ξένίησ πολυμήδεοο (μ ex ν? cr.) P, ξενίης πολυκηδέος Salmasius. Mein. cfrt. Hom. Od. φ 35 ξεινοσύνης προσκηδέος. — κεινὴ P, κενεὴ Reiske. κεινὴ defendit Stadtmüller „reddit numeros clausulae Homericae εὐρεῖα χθών." — 6. δίψασιν P.

Euphorionis fragmenta.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟϹ.

De argumento cfr. praef. p. 15.

1.

Steph. Byz. p. 581, 11 Ϲόλοι, Κιλικίας πόλις, ἡ νῦν Πομπηιούπολις. Ἑκαταῖος Ἀσίᾳ· κέκληται δὲ ἀπὸ Ϲόλωνος, ὡς Εὐφορίων ἐν Ἀλεξάνδρῳ.

ἀλεξάνδρω RV, ἀλεξ c. comp. P. - Mein. de Solone intellegit Lindio; cfrt. γένος Ἀράτου Θέωνος Ἀδεξανδρέως p. 146, 6 sq. Maass: ἀπὸ Σόλων τῆς Κιλικίας (ὠνομάσθαι δέ φασι τὴν πόλιν ἀπὸ Ϲόλωνος τοῦ Λινδίου) et Strab. XIV 5, 8 Ϲόλοι — Ἀχαιῶν καὶ Ῥοδίων κτίσμα τῶν ἐκ Λίνδου. Atheniensem Solorum conditorem vocat Diog. Laert. I 51.

ΑΝΙΟϹ.

Actum erat hoc carmine sine dubio de Delii Apollinis filio notissimo, sed quamnam fabularum, quae de eo filiabusque eius narrabantur, partem elegerit Euphorio, non constat.

2.

ἷκτο μὲν ἐς Δωδῶνα Διὸς φηγοῖο προφῆτιν,
*ἵκετο δ' ἐς Πυθῶνα καὶ ἐς γλαυκῶπα Προνοίην.

Steph. Byz. s. v. Δωδώνη p. 248, 5 sqq. καὶ τὴν αἰτιατικήν φησιν Εὐφορίων Δωδῶνα ἐν Ἀνίῳ Ἷκτο μὲν κτλ.

Iuliani or. IV p. 149 B καὶ τοῦτο δὲ αὐτὸ Πρόνοιαν Ἀθηνᾶν λέγοντες οὐ καινοτομοῦμεν, εἴπερ ὀρθῶς ἀκούομεν Ἵκετο κτλ. Iulianum exscripsit Eustath. Il. p. 83, 44.

1. ἷκτο (ˇex 'man. 2) μὲν S. — Δωδῶνα] dativum Δωδῶνι habes Soph. Trach. 172, fr. 417, Callim. fr. 306, genetivum Δωδῶνος Soph. fr. 422 N. — 2. Πυθῶνα] Πυθὼ Eust. — γλαύκωνα Iuliani libri, γλαυκῶπα Eust. — Προναία audit Minerva Aesch. Eumen. 21, Callim. fr. 220. Πρόνοια primum ap. Aeschinem occurrit, cfr. Gruppe Myth. Gr. I p. 103, 13. — ἐς γλαυκῶπα Προνοίην aut Delphos significat aut Delum, cfr. Macr. Sat. I 17, 54 *in insula Delo — aedes Providentiae, quem ναὸν Προνοίας Ἀθηνᾶς appellant, apta religione celebratur.* — Iuliani versum Euphorioni adscripsit cumque praecedente coniunxit Mein. An. Al. p. 401 sq.

ΑΝΤΙΓΡΑΦΑΙ ΠΡΟϹ ΘΕΟΔΩΡΙΔΑΝ.

De argumento non constat.

3.

Ζὰψ δὲ ποτὶ σπιλάδεσσι νεῶν ὀλέτειρα κακύνει.

Clem. Al. Strom. V 8, 47 (e Didymo) Ζὰψ δὲ τὸ πῦρ οἱ μὲν παρὰ τὴν ζέσιν ἀμαθῶς ἐδέξαντο· καλεῖται δ' οὕτως ἡ θάλασσα, ὡς Εὐφορίων ἐν ταῖς πρὸς Θεοδωρίδαν (Θεωρίδαν L, corr. Meursius) ἀντιγραφαῖς 'Ζὰψ' κτλ.

σπιλάδεσι — ὀλέτηρα L. Pro κακύνει Mein. requirit verbum quale est καχλάζειν, κυκᾶται Ziemann amicus. — ποτὶ σπιλάδεσσιν γ 298.

ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟϹ.

De argumento cfr. praef. p. 15 sq.

4.

Parthen. narr. am. XXVIII Περὶ Κλείτης.
Ἱστορεῖ Εὐφορίων Ἀπολλοδώρῳ, τὰ ἑξῆς Ἀπολλώνιος Ἀργοναυτικῶν α'.

Διαφόρως δὲ ἱστορεῖται περὶ Κυζίκου τοῦ †αἰνέου (Αἰνέως Gale, hoc vel Αἴνου Martini). οἱ μὲν γὰρ αὐτὸν ἔφασαν ἁρμοσάμενον Λάρισαν τὴν Πιάσου, ᾗ ὁ πατὴρ ἐμίγη, πρὸ γάμου μαχόμενον ἀποθανεῖν, τινὲς δέ κτλ. (Quae sequuntur, ad Apollonium pertinent). — Scholion Ap. Rh. I 1063 ὁ μὲν Ἀπολλώνιος νεόγαμον τὸν Κύζικον καὶ ἄπαιδα ἱστορεῖ, Εὐφορίων δ' ἐν Ἀπολλοδώρῳ μελλόγαμον. τὴν δὲ ⟨γαμετὴν⟩ οὐ Κλείτην ⟨τὴν⟩ Μέροπος λέγει θυγατέρα, Λάρισαν δὲ τὴν Πιάσου· οὐδὲ παθεῖν τι, ἀπαχθῆναι δὲ αὐτὴν ὑπὸ τοῦ πατρός.

λάρισαν
τὴν δὲ κλείτην οὐ μέροπος L, corr. et suppl. Meineke. — θρῆσσαν L. — De Larisa cfr. Strabo XIII 3, 4.

5 (4 Mein.).

†ποικίλον οὐδὲ μέλαθρον . . . ὀρχίλος ἔπτη
Κυζίκου, ὃν δ' ἤεισε κακὸν γάμον ἐχθομένη κρέξ.

Schol. Lycophr. 513 κρὲξ ὄρνεόν ἐστι θαλάσσιον ποικίλον ἴβιδι ἐοικός, ὡς Ἡρόδοτος (II 76) — Καλλίμαχος δὲ ἐν τοῖς περὶ ὀρνέων (fr. 100 c 9) φησὶ τοῖς γαμοῦσι δυσοιώνιστον εἶναι· καὶ Εὐφορίων Ἀπολλοδώρῳ· 'ποικίλον' κτλ.

1. ὧδε s — ὀρχίλοχος γ2 γ1 m² — 2 Κύζικος libri, Κυζίκου Thryllitzschius — δὴ εἶδε s³ — ἐρεχθομένη b γ2 γ1 m² — Narravit Euphorio, ni fallor, ante ipsum nuptiarum diem mortem oppetisse Cyzicum eoque aves infaustas tecto insedisse. — οὐδέ, nisi post ποικίλον interpungere vis, ferri nequit; ὧδε vel magis corruptum. Itaque scripserim ποικιλόνους δὲ sive ποικιλόνου δὲ. ὀρχίλος, qui ante transformationem vates fuerat (Ant. Liberal. XIV) recte ποικιλόνους dicitur. Post μέλαθρον desideratur adiectivum quale ἀγακλυτόν vel, si ποικιλόνου probas, ἀπαίσιος, ἀνάρσιος sim. — ὃν δὲ: nam etiam κρέξ metamorphosin passa esse videtur; ἐν δ' Spohnius.

6 (5).

Didymus ap. Harpocrat. s. v. ὁ κάτωθεν νόμος (Photius, Suidas) p. 136, 14 'ὅτι γάρ', φησι (Δίδυμος) 'βουστροφηδὸν ἦσαν οἱ ἄξονες καὶ οἱ κύρβεις γεγραμμένοι, δεδήλωκεν Εὐφορίων ἐν τῷ Ἀπολλοδώρῳ.

7.

καί τις Ἀπολλό-
δωρος . . . . ἐφ' υἱέα Λειοφόωντος.

Georg. Choerob. comm. in Hephaest. c. IV fin. (p. 226, 22 C.) ἰστέον δέ, ὅτι διὰ τὸ ἀδύνατον ὁ Εὐφορίων τὸ Ἀπολλόδωρος διέλυσε φάσκων 'καί τις' κτλ.

λειφόωντος Vat. gr. 14. An Κλειοφόωντος? Lacunam statui metri causa. — De nominum divisione cfr. W. Schulze Quaest. ep. p. 1 sq., qui affert Simonidis fr. 131 Ἀριστο — γείτων, Kaibel epigr. 805a 5/6 Νικο — μήδης. — Ἀπολλόδωρος ut Euphorio dividit Nicomachus ap. Hephaestion. p. 15, 5 C. (PLG II⁴ p. 316).

ΑΡΑΙ Η ΠΟΤΗΡΙΟΚΛΕΠΤΗΣ.

Continebat hoc carmen, ut ipse titulus indicat, exsecrationes in poculi raptorem iactatas. Trahenda huc fortasse frgm. 95—97.

8 (6).

ὅστις μευ κελέβην Ἀλυβηίδα μοῦνος ἀπηύρα.

Steph. Byz. s. v. Ἀλύβη p. 79, 9 ἔστι καὶ Ἀλυβεὺς καὶ Ἀλυβηΐς. Εὐφορίων ἐν Ἀραῖς ἢ Ποτηριοκλέπτῃ (ποτιροκλέπτη R, ποτιριοκλέπτη V, ποτηροκλέπτῃ A) 'ὅστις' κτλ.

Schol. Theocr. II 2 κελέβη δέ ἐστιν ποτήριον ξύλινον κυλικῶδες. Εὐφορίων ἐν Ποτηριοκλέπτῃ (ὁ ποτηριογλύπτης K,

E. ποτηριοκλέπτῃ ἢ ὁ ποτηριογλύπτης 5 P, E. ἐν ποτηριοκλέπτῃ ἢ ὁ ποτηριογλύπτης Gen. b) 'ὅστις — ἀπηύρα'· Ἀλύβη ἐστὶν ὄνομα πόλεως.

μὲν RVPA Steph., μεῦ Xylander (?) | ἐμεῦ 5 P Gen.b, ἐμὴν K. — κέλβεν RV, κέλκην PA, κελέβην Salmasius | κελεύην 5 P Gen.b, κελέβην K. — ἁ δα pro Ἀλ. Gen.b — μοῦνον vulg. schol. Theocr., sed μοῦνος K. Ad μοῦνος Buechelero monente suppleo velut: ἢ καὶ ἅμα πλεόνεσσιν. Cum Ἀλυβηίδα cfr. Hom. B 857 τηλόθεν ἐξ Ἀλύβης, ὅθεν ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη.

ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ.

De argumento non constat.

9 (7).

δαῖμον, ὃς Ἀμφιλύσοιο ῥόον . . . .

Steph. Byz. p. 137, 10 Ἀσσωρόν· ὄρος Σάμου, ὅθεν ῥεῖ ὁ Ἀμφίλυσος. Εὐφορίων Ἀρτεμιδώρῳ 'δαίμονος' κτλ.

δαίμονος RVPA, corr. Mein. — ἀμφιλυσιορόον R, ἀμφιλυσιόροον V, ἀμφιλύσιον ῥόον (cum IX litterarum spatio) P et (sine spatio) A. — ⟨νέμεις⟩ ῥόον ⟨Ἀσσωρίνου⟩ Mein., malim ῥόον ⟨λάχες Ἀσσωρίνου⟩.

ΓΕΡΑΝΟΣ.

Hoc carmine exposita erat fortasse „fabula de Gerana, muliere apud Pygmaeos formosissima, sed propter morum insolentiam in gruem mutata (Athen. IX p. 393 E)“ Mein. p. 20.

10 (8).

ὥριον οἷά τε μῆλον, ὅ τ' ἀργιλώδεσιν ὄχθαις
πορφύρεον ἐλαχείῃ ἐνιτρέφεται Σιδόεντι.

Athen. III 82 A διάφορα δὲ μῆλα γίνεται ἐν Σιδοῦντι, κώμη δ' ἐστὶν αὕτη Κορίνθου, ὡς Εὐφορίων ἢ Ἀρχύτας ἐν Γεράνῳ φησίν 'ὥριον' κτλ.

1. ὁ δ' A, corr. Mein. — 2. πορφυρόειν Mein. — Ἐφυρείῃ Kaibel. — Cfr. Nicandri fr. 50 Schn. αὐτίχ' ὅ γ' ἢ Σιδόεντος ἠὲ Πλείστου ἀπὸ κήπων μῆλα ταμὼν χνοάοντα τύπους ἐνεμάσσετο Κάδμου.

ΔΗΜΟΣΘΕΝΗΣ.

Argumentum nescimus.

11 (9).

δαίμονος ἱλάοιο.

Choerobosc. in Theodos. canon. p. 252, 26 sqq. Hilg. ὅτι

γὰρ (ἵλαος) ἐκτείνει τὸ ᾱ, ἐδήλωσε Παρθένιος ἐν τῷ εἰς Βίαντα εἰπών (fr. 4 Mart.)· ἵλαος ταύτην δέχνυσο πυρκαϊήν. — καὶ ἐν τῷ Εὐφορίωνος Δημοσθένει ὁμοίως ἐκτεταμένον εὑρίσκεται οἷον 'δαίμονος ἱλάοιο'.

ΔΙΟΝΥϹΟϹ.

Dionysus carmen Mopsopiae particula fuisse videtur, cfr. p. 45 sq. et frgm. 33. Narrabat igitur Bacchum ter natum esse, primum matre (Semela scilicet), iterum e femore (Iovis), tertium, ὅτε διασπασθεὶς ὑπὸ τῶν Τιτάνων 'Ρέας τὰ μέλη συνθείσης ἀνεβίω. Qua in re mirum est, quantum discrepet Euphorio a traditione Orphica, quam sequuntur Callimachus (fr. 171, 374) et Nonnus, cfr. Lobeck Aglaopham. p. 547 sqq. Ibi enim Iuppiter cum Proserpina primum gignit Bacchum sive Zagreum, qui a Titanibus invidia Junonis inmissis, speculo cum se contemplatur, discerpitur (Lobeck p. 555 sq.). Laceras reliquias Apollo iuxta tripodem sepelit (p. 558), cor Zagrei Minerva Iovi fert (p. 559 sq.), qui contritum aut ipse bibit aut Semelae bibendum dat, unde alter procreatur Bacchus Thebanus.

